

DE SONORUM ITERANDORUM ARTE CAESARIANA

Scripsit

IOSEPHUS KORPANTY

Initium disputandi ab alliteratione capiam¹. Qua in re idem sentio atque ei, qui dicant non solum alliterationem initiale tenendam esse (quae nonnumquam duo vel plura phonemata continet et a me adiecta nominatur), sed etiam phonemata in syllabarum initio, praecipue autem post praefixum iterata respicienda². Omnibus commentarios Caesaris legentibus patere puto eum alliterationibus admodum delectatum esse. Similiter atque apud alios auctores Latinos plurimae sunt alliterationes consonantium **p**, **b**³; **c**, **q**, **g**; **t**, **d**. En habes exempla a me selecta: **p**, **b**: *Gall.* I 12, 7: “**princeps poenas persolvit**”; I 13, 4: “**bello persequi perseveraret4; I 27, 1–3: “**pedes proiecissent suppliciterque [...] pacem petissent** [...] **paruerunt**”⁵; I 39, 5: “(equitatu) **praerant perturbabantur**” (consonantes **p**, **b** et **t** perturbationem premunt); II 11, 1: “**primum [...] peteret [...] pervenire properaret [...] profectio**”⁶; II 13, 3: “**poneret pueri passis [...] pacem [...] petierunt**”;**

¹ Repetitiones phonicas litteris crassioribus distinguimus. Praemonendum est in repetitionibus phonicis respondere sibi sonos hos: **c**, **g**; **c**, **q**; **g**, **q**; **y**, **u**; **y**, **i**; **t**, **d**; **p**, **b**; **v**, **f**; **ch** (**kh**), **c**, **th**, **t**; **ph**, **p**; **ph**, **f**; **ae**, **e**; **ae**, **a**; **oe**, **u**; **oe**, **e**; **ie**, **i**; **au**, **o**; **ns**, **s**.

² Cf. e.g. *Caes. Civ.* III 73, 5: “**expulisse ac [...] repugnantes**”.

³ Scriptoribus Latinis cordi erat multa vocabula a consonantibus **p**, **b** incipientia congregare, cf. e.g. Cato, *Orat. LII in Lentulum* 200: “**patrem primum postea patronum proximum**” (in oratorum fragmentis afferendis editione ab Henrica Malcovati parata usus sum); Enn. *Trag.* 320 sq. Klotz: “**parat [...] oportet paratum pestem ut participet parem**”; 408: “**pervince pertinaci pervicacia**”.

⁴ Cf. Cic. *Verr.* II 5, 149: “**bello persequi possemus [...] in punctum**”.

⁵ Cf. Poetae (tragici) incerti ed. Klotz: “**postulat pacem petens**”; Cic. *Phil.* VII 25: “**praesentis pacis perpetuam pacem**”; Liv. I 16, 3: “**pacem precibus exposcent [...] propitius**”; I 37, 6: “**perditis [...] prope rebus pacem petiere**”; II 49, 12: “**pacem supplices petunt [...] impetratae**”; IX 4, 2: “**primum pacem [...] peterent [...] pacem [...] impetrarent [...] provocarent [...] pugnam**”; IX 45, 2: “**saepe bellum parantes pacem petiissent**”.

⁶ Consonans **p** saepe iteratur, cum de festinatione sermo est, e.g. Lucr. I 14 sq.: “**pecudes persulant pabula [...] rapidos**”; Petr. 114, 14: “**procurrere piscatores parvulis expediti [...] praedam rapiendam**”; cf. etiam Liv. XXXII 29, 1: “**priusquam [...] praetoresque in provincias proficiscerentur prodigia procurari placuit**”.